



**De Ortv Et Progressv Ac Viris Illvstribvs Ordinis  
Gloriosissimæ Dei Genitricis, semper Virginis Mariæ de  
monte Carmelo**

**Trithemius, Johannes**

**Coloniae Agrippinae, 1643**

Cap. XIV. Stabilitur priuilegium Bullæ Sabbathinæ, quo asseritur prima a discessu Sabbathina die, Confratrum huius Ordinis animas, B. Maria Virg. intercedente, à pœnis purgatorij liberari.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64495)

## CAPVT XIV. &amp; VLT.

*Stabilitur priuilegium Bullæ Sabbatina, quo asseritur primâ à decessu Sabbatina die Confratrum huius Ordinis animas, B. MARIA virginæ intercedente à pœnis purgatorij liberari.*

**A**D extremum, vt vltimæ quorundam ob-  
 trectorum obiectioni satisfaciam, ob-  
 seruandum est prius, quod Sancta Dei Ge-  
 nitrix, ac perpetua Virgo MARIA, post obitum  
 fratrum, sororum, confratrum, & consororum  
 Carmelitarum Ordinis, prima die Sabbati animas  
 eorum, earumq; in Purgatorio persistentes, suis  
 intercessionibus à pœnis illius liberat, vt ipsa  
 Beatis, Virgo pollicita fuit *S. Simoni Stoch.* Priori  
 Generali Ordinis Carmelitarum. Hoc singulare  
 priuilegium multi impugnant, sed immeritò, quia  
 Summus Pontifex *Ioannes XXII.* in Bulla, quæ *Ioã. XXI*  
 incipit: *Sacratissimo*, data Auenioni 3. die mensis  
 Martij anno 6. sui Pontificatus, his verbis illud con-  
 firmavit: *Istam ergo sanctam Indulgentiam accepto,*  
*roboro & in terris confirmo, sicut propter merita Vir-*  
*ginis Matris Christus concessit in cœlis.* Meminit hu-  
 ius Bullæ *Paleonudorus lib. 3. cap. 11.* vbi obiter ob-  
 seruatione dignum arbitror, quod in eadem Bulla  
 fatetur ipse Pontifex, B. Virginem sibi apparuisse,  
 ac dixisse: *Propter deuotionem, quam erga me ha-*  
*bes, ab aduersario tuo te liberabo, & ad iupremum*  
*dignitatis Ecclesiasticæ culmen te promouebo: in*  
*cuius rei recompensationem volo te beneuolum*  
*exhibeas erga Fratres meos Filios Elia, & inter alia*  
*præcepit, vt Indulgentiam hanc Sabbatinam per* *Alex. V.*  
*propriam Bullam confirmaret. Eandem etiam po-*  
*stea acceptarunt, & confirmarunt Alexander V.*  
*in Bulla, quæ incipit: Tenore cuiusdam priuilegij*  
*felicis recordationis IOANNIS XXII. Clemens VII. Clē. VII.*  
 In Bulla,



in Bulla, cuius principium est, *Dilecti filij*, data in Vrbe veteri, die 15. Maij, anno 1528. vbi hæc verba habentur; *Die, quo à saculo huiusmodi Purgatorium accesserint, ipsa Virgo gloriosa Dei genitrix MARIA, Sabbato sequenti post ipsorum confratrum, seu Religiosorum ac sororum obitus, visitando, à pœnis Purgatorij huiusmodi eorum animas liberabit.* Eandem etiam Indulgentiam confirmavit Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit, *Vt laudes Gloriosissima Virginis Mariae.* Ac tandem Academia Salmanticensis, exploratis Apostolicis his Bullis, declaravit, validam esse hanc Sabbatinam Indulgentiam, & in suo robore semper permanere, nisi per Summum Pontificem, aut Concilium aliquod derogeretur, nosq; testamur, insigniorum Doctorum illius Academiae subscriptiones illam approbantes legisse, & vidisse. Quare cum non solum auctoritate tantorum Doctorum, sed expressis Summorum Pontificum oraculis, Indulgentia hæc Sabbatina sit corroborata, & stabilita, non video qua ratione quispiam absque ingenti temeritate illam inficiari queat.

## APPENDIX TRACTATVS II.

*Complectens Encomia Sanctæ & Seraphicæ Virginis ac Matris THERESIÆ à IESV, Carmeli Restauratricis celeberrima.*

I. **C**VM occasione tractationis de sacra antiquitate Ordinis Gloriosissimæ Dei genitricis semper Virginis MARIE de monte Carmelo, in laudes eiusdem Religionis opportunè inciderim, ac hoc eodem tempore celebrata sit sanctæ Matris THERESIÆ, Carmelitici Ordinis alumnae atque *instauratricis*, desideratissima Beatificatio, nec possum, nec debeo eius præconia omnino silentio præterire.

II. Dvo